

aqua calente solve, filtra, vaporet ad ficcitatem, & obtinebis Nitrum Fixatum: quod quidem sal in cella vinaria liquatum colliquescit in humorem, qui filtratus Glauberi ALKÆST dicitur.

Nitrum ex tartaro fixum.

℞. Nitri depurati,
Tartari crudi pulverato-
rum, & exsiccatorem, } ana quantum volueris.

Misce in mortario ferreo. Materiam accende carbone candente. Facta detonatione massam solve in Aquæ communis quantitate sufficienti.

Filtra, vaporet ad ficcitatem; idque in cella liquatum Helmontii ALKÆST esse perhibent.

Lapis causticus.

℞. Cinerum clavellatorum, libras duas.

Calcis vivæ, libram unam.

Mitte in vas idoneum. Paulatim affunde

Aquæ ferventis, libras sexdecim.

Fiat lixivium. Cola per chartam emporeticam fultam linreo. Colatura vase æneo excepta vaporet igne aperto ad ficcitatem. Calcina in crucibulo, donec in fluorem oleaginosum abeat. Tum massa in patinam vel marmor calidum effusa, lentescens adhuc in frustula secerur; diligenter in vase vitreo rite obturato & loco sicco reponatur.

SALIA LIXIVIALIA.

Sal fixum plantarum.

℞. Herbarum virentium & maturarum cum stipitibus, quantum volueris.

Ignē aperto comburantur in cineres; ex iis ad albedinem calcinatis fiat Lixivium. Filtra, vaporet ad siccitatem. Solve ex aqua pura. Filtra, vaporet iterum ad siccitatem; sic Sal magis nitet.

Sal plantarum, Tachenii methodo paratum.

Rx. Plantæ cujuslibet recens collectæ, quantum volueris.

Infice in cacabum ferreum, operculo munitum; Ignem admove ita temperatum ut lentissime comburatur Planta & in Carbonem vertatur, fumos quidem emittendo quamplurimos, sed nulla erumpente flamma. Deinde auferatur operculum, & igne continuato ustuletur Carbo mox paratus, cavendo imprimis ne scintillando flammam emittat, massamque indefinenter agitando virga ferrea, quamdiu aliquid remanserit Carbonis in cineres nondum conversi. Cinis ille omnis per unam alteramve horam ulterius candescat, assiduoque agitetur. Postea cum aquæ purissimæ sextuplo pondere fortissime bulliat; Lixivium fervens coletur per linteum; colatura vaporet in vase ferreo ad siccitatem, summa cura sub finem movendo, ne vasis fundo adhæreat. Massa obtinebitur Salina, sapore acris, colore subfusca, in aere humido deliquescent, facile in Tabellas formanda, si prius crucibulo commissa, & ignis vi fluida facta, in tabulam marmoream projiciatur.

S A P O N E S.

Sapo albus.

Rx. Calcis vivæ frustulatim extractæ, libras quinque.